

L. B.

**Epitaphium Carolo XII, Regiae Sveciæ : erectum A L. B. Anno Domini MDCCXIX.**

[Wien]: Prostat apud Adamum Damer, [1719?]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691394378>**

Druck Freier  Zugang









II. 421<sup>23</sup>



# EPITAPHIUM CAROLO XII.

Regi Sveciæ erectum

A

L. B.

Anno Domini MDCCXIX.

Obstupeſce Viator!

**CAROLUS**

Svecorum Rex,

Quietis diu ignarus, momentô didicit  
etiam ſine Magiſtro quieſcere,  
ſi tamen diſcere eſt, obliuiſci,  
aut ſi abſquè Magiſtro diſcit  
quem Mors inſtruit,

Sed Heu!

Sera nimis inſtructio, Tyrocinium in Epilogo  
quieſcit,

& tot à motibus amotus,  
non ultra vetat Balticos fluctus componi,  
ſola jam fluctuat Corona. (a)

(a) Innuitur dubium an Princeps Holſatiæ, an Soror deſuncti Regis, Coronam obtinebit.

Postquam de illo multa dixit Orbis,  
orbiculatus globus ſilentium indixit,  
adeò etiam minima, noxia ſunt maximis.

REX

Glandè Proſtratus.

Levem illam de glande Legenda quæſtionem  
reddidit ponderoſam

Memoratu Sanè Dignum eſt:

Quod glandem unam legant milleni. (b)

Sed ad vivum CAROLUM revertere viator.

Ancillatrices, inquires, habuit victorias,

Fortunam vidit obſtetricem,

donec pro regione certavit;

Aſt ubi Religionem aggreſſus eſt,

alio greſſu iverunt Triumphi,

Hic Bipontinus (c) ex Ponte Veſtphalico

(unde jam olim malè reſpondit Pontifici)

Sacros ejuſdem ritus in Sileſiæ parte voluit ſilere;

centum porrò ad nova dogmata largitus vocationes,

nulla Regiæ Spei reſpondit:

imò vocalis facta exulum afflictio

ultionem provocavit;

inde lugubri doctus experimento

non æquè ac tabernas

(b) Alluſio eſt in Verbo legunt, quod legere & colligere ſignificat, Item in contrario illo ſenſu,  
quod unam glandem legant milleni, cum plerumque unus legat millenas. (c) Rex Sveciæ Dux  
Bipontinus Oſnabruga ubi pax Veſtphalica inſita eſt.

⌘

im-

II 421 23



impunè profanari Tabernacula,  
& longè aliud esse Polono,  
aliud Polo insultare.

Obserua

quàm pari Lance fata compensant,  
injurias uni Petro illatas, alter Petrus (d) vindicavit,  
dum nempè Svecum tot clavium (e) spolijs onustum  
à clade Pultavica ad Portam (f) collocavit.  
Sed quid ad Machometi Portam Claves PETRI?  
ut appareret fortassis in extremo fortunæ  
etiam probrosa Sacris misceri.  
Infandæ conventionis si fas est meminisci,  
à re inconueniens, à loco faxea est.

Nempè:

Inter Saxones Ecclesiæ suæ rem egit  
ut & ille suprà Petram ædificasse crederetur.  
parem scilicèt tot machinationibus machinam.

Devoratis Saxonum opibus,  
edilem esse ostendit Saxoniam,  
ædilem extruendis Altaribus Silesiam.  
**Luctuosum est Cum PETRO Luctari,**  
Oliveto assuevit,  
ubi oleum invenit ad Luctam,  
gladios ad pugnam.  
Dormientem Svece in horto observasti,  
& ferientem sensisti.

(d) Petrus Cor Moschovia. (e) Claves Catholicis Ecclesiis erepta. (f) Portam Ottomanicam.

Heus Te!

Petrus Vindictæ tenax,  
aut amputat, aut imputat:  
quid mirum, si sinistra Svecus audit,  
Cui

Si non auriculam, auram certè dextram,  
Petrus amputavit.

Aurem erige, qui Legis!  
dùm Conventionem extorsit à Cæsare,  
ut hujus Nominis mensuram impleret,  
nondum cæsus, jam cædem sibi præfagijt.

Admirare Proviventiaë Mysterium!  
ad Pultem Primigenium amisit Esau  
ad Pultavam secundum genium (g) CAROLUS perdidit,  
nè tamen totus occubuisse crederetur,  
Partes petijt Orientis;  
Non negavit Benderum Stationem fugienti,  
Vrbs enim à ligaminibus nuncupata,  
præ reliquis valuit Goticæ Sortis simulacrum;  
aut alligare profugum,  
aut infidum more Gentis strangulare.

Adver-



Adverte rem novam!  
Lunam in Leone, (h)  
aut si majus portentum expectas,  
(g) *Secundus genius idem quod fortunæ Caroli, (h) Luna Turcica, Leo Svecicus.*

Leonem in Luna Spectato.

Nimirum.

Svecia longis noctibus tenebrosa,  
Lunæ non immeritò blanditur.  
Sed non ideo Lunaticam dixeris;  
quòd si tamen minus sapuit, in promptu causa est;  
Rex totus in (i) Pipere, falem neglexit,  
hoc videlicet defuit condimentum,  
ut vetus Gustavi fatum  
oppiperè magis prægustaret.  
Poterat apud Norvegos  
prudentiæ imaginem suspicere (k) in Elephante;  
nec enim tam mitis erat,  
ut discere detrectaret à Bellua.

Ità

& Castrorum & mentis aciem concilians,  
Balteum (l) exuisse citius,  
Balticum retinuisse diutius,

Verùm

de alieno maluit, quàm de suo videri sollicitus.  
Hinc Regem dedit Poloniæ,  
imò ostendit tantum, non dedit,  
brevis profectò ostentatione,  
profectu nullo;

(i) *Piper Primus Regis Minister. (k) Ordo Daniæ. (l) Balteum pro Bello.*

Nisi diceres Regem convertisse in Pontificem,

Quem

(m) in Biponte firmavit,  
cùm vacillaret in folio.

Si singula Gesta Commemorem,  
aut nimium dixero, aut nunquam:  
Injurias intulit, & veniam extorsit,  
inglorium sanè spectaculum!  
culpæ succollans Innocentia.

Nigra funera latè sparfit,  
ut constanter spectaretur ceruleus, (n)  
nunquam Cereus,  
utpotè flecti nescius.

Age nunc, & Tumbam Regis intuere,  
accensæ circum faces, denotant extinctum.  
Ergonè etiam pro ferali cera servantur Procera?

Ita est.

Illud verò in CAROLO singulare,  
quòd antè diem perdi maluerit,  
quàm in Diem servari,  
ausus mortem sinè metu quærere,  
quæ nunquam sinè terrore invenitur.

In



In profundum Fatorum sinum receptus,  
alterum deseruit, à Regio sine bis (o) Finnicum.

(m) Regem Stanislaum in suo Ducatu Bipontino consistere facit. (n) Color ceruleus incon-  
stans in panno est, nisi prius nigro colore tingatur. (o) Sinus Finnicus sub Dominatu Sveciæ.

~~~~~

Cadunt porrò cum uno Capite  
Tres Coronæ,  
Nec mireris,  
totidem enim Parce numerantur;  
pepercissent fortassis tanto Duci,  
nisi tot periculis expositum Gregarium credidissent,  
Compatere Viator,  
à magnanimitate Laudatus dùm viveret,  
à temeritate culpatur dùm moritur:  
Nempè  
quod in prospera fortuna Virtus est,  
Soepè cum aduersa in vitiùm degenerat,  
Cælebs & improlis decedens,  
Hæredem relinquit Discordiam,  
an ideo, quia Fæminam!  
Erro,  
Virtus Grammaticis tantùm fœminina,  
Reginis mascula est.  
Cerue si lubet, cum Casside (p) Sveciam,  
idem senties.  
Nunc meditare Viator:  
à direpta Saxonia, unum Regi Saxum remansit,  
ut animi durties, etiam ex Structura  
Sepulchri Legeretur,  
(p) Ulrica Principi Cassiaco nupta.

~~~~~

Appropinqua  
nam Rex ultra non Sævitur,  
postquàm messuit, ut Sevit.  
Circumspice,  
De tot navibus, una Charontis Cymba  
superfuit.  
Lege  
ubi Castra metatus est,  
ibi vitæ metam posuit.  
Exclama  
Proh! quàm pusillus cinis  
de tanto incendio.  
&  
Abi.


~~~~~

Prostat apud Adamum Damer, im Zwettelhoff.











In profundum Fatorum finum receptus,  
alterum deseruit, à Regio fine bis (o) Finnicum.

(m) Regem Stanislaum in suo Ducatu Bipontino consistere facit. (n) Color ceruleus incon-  
stans in panno est, nisi prius nigro colore tingatur. (o) Sius Finnicus sub Dominatu Sveciæ.



Cadunt porrò cum uno Capite  
Tres Coronæ,  
Nec mireris,

totidem enim Parce numerantur;  
pepercissent fortassis tanto Duci,  
periculis expositum Gregarium credidissent,  
Computare Viator,

ingnauitate Laudatus dùm viveret,  
meritate culpatur dùm moritur:  
Nempè

in prospera fortuna Virtus est,  
um aduersa in vitiùm degenerat,  
ebs & improlis decedens,  
em reliquit Discordiam,  
leo, quia Fæminam!

Erro,  
maticis tantùm fœminina,  
is mascula est.  
Cerne m Casside (p) Sveciam,  
senties.


itare Viator:  
à direpta Sa... Regi Saxum remansit,  
ut animi... tiam ex Structura  
geretur,  
(p) ... ssiaco nupta.



Ap...  
nam Rex... evit,  
postquam n... evit.

Circu...  
De tot navibus, una... Cymba  
superf...  
Legè

(p) ubi Castra meta...  
ibi vitæ metam...  
Exclama...  
Proh! quàm pusillus...  
de tanto incendio...  
&  
Abi.



Prostat apud Adamum Damer, im Zwettelhoff.

al  
CITATION OF THE...  
BIBLIOTHECA...